

scribuntur, non sunt semper publicæ, neque graves, sed de convenientia, aut opportunitate ; solemnitas extrinseca pro quibusdam ex eis est observanda, pro aliis vero non requiritur. Ex tribus conditionibus Missæ Votivæ solemnis stricte dictæ, una alterave quidem pro Missis Votivis privilegiatis poterit adesse, sed tres simul stricte sumptæ generatim non reperiuntur.

Sub hac denominatione intelliguntur, ex. gr., Missa Votiva de SS. Sacramento, in Oratione XL Horarum, seu in Adoratione perpetua ; Missa Votiva pro sponso et sponsa ; Missa Votiva de SS. Corde Jesu in Feria VI quæ prima in unoquoque mense occurrit ; etc.

Pro celebratione hujusmodi Missarum accurate attendendus est tenor privilegiorum, quæ stricte quidem semper sunt interpretanda.

II. Missæ Votivæ privilegiatae sunt ritus duplicis ; diversa tamen sunt earum privilegia, quoad Commemorations speciales admittendas. Una excipitur Missa Votiva « pro sponso et sponsa », quæ celebratur ritu simplici, etiamsi adhiberetur extrinseca solemnitas.

*Q. 208. Quæ Missa Votiva dicitur privata, et cuius est ritus ?*

R. I. Missa Votiva privata dicitur illa, quæ celebratur — pro re quæ quidem gravis esse potest, sed non debet ; et ex causa non publica, sed privata, rationabili tamen ; — et speciali devotione, aut desiderio, sive Sacerdotis qui litat, sive fidelis qui Missam petit ; — celebratur hujusmodi Missa vel solemniter vel privatim.

Causa indicatur privata ; quod est intelligendum ; non præcise in opposito cum publica seu communi, quasi pro utilitate unius alteriusve privati tantum semper foret celebranda hæc Missa, nam et aliquando pro tota communitate, pro integro loco, pago, civitate celebranda erit : sed potius eo sensu, quod pro hujusmodi Missa interponatur, non auctoritas ecclesiastica mandans aut permittens, ratione causæ gravis vel publicæ ; sed tantum votum seu desiderium privati vel privatrum, quin etiam totius communis, etiamsi voti seu desiderii objectum esset in se grave, et ad totam communem referretur.

Exempli gratia, si Parochus, occasione morbi contagiosi in parochia grassantis, Missam Votivam celebrare intendit, pro sua devotione, ad malum avertendum ; licet jam causa hujusmodi sit in se amodo gravis, et ad omnes parochianos referatur, tamen, non interveniente mandato vel permissione auctoritatis ecclesiastice, censetur causa privatorum, et Missa erit manebitque Votiva privata.

II. Missa Votiva privata est ritus simplicis ; unde tres numero saltem Orationes in ea dici debent, pluresque usque ad quinque vel septem dici possunt. (Cfr. QQ. 72, 86.)

Dicendum erit : 1º de Missis Votivis ratione objecti de quo dici possunt ; 2º de Missis Votivis ratione solemnitatis intrinsecæ.

## ARTICULUS I

### DE MISSIS VOTIVIS RATIONE OBJECTI DE QUO DICI POSSUNT

#### § I. De Missis Votivis de Sanctis

Sæpius petuntur Missæ celebrandæ in honorem Sanctorum, et præsertim in honorem B. Mariæ Virginis. Facilitatis et claritatis gratia, juvat separatim regulas exponere de formulari adhibendo a) pro Missis Votivis de B. Maria Virgine ; b) pro Missis Votivis de reliquis Sanctis.

#### A. De Missis Votivis in honorem B. Mariæ Virginis

*Q. 209. Quot et quæ reperiuntur in Missali Romano Missæ Votivæ de B. Maria Virgine ?*

R. In Missalis Romani quinta parte (cfr. Q. 37), assignantur quinque Missæ Votivæ de B. Maria Virgine, pro tot diversis temporibus anni ecclesiastici, scilicet :

1º Missa dicenda ab initio Adventus usque ad Nativitatem Domini ;

2º Missa dicenda a Nativitate Domini usque ad Festum Purificationis B. Mariæ Virginis, 2 Februarii ;

3º Missa dicenda a Purificatione usque ad Pascha ;

190 (Q. 210) De Missis Votivis de B. Maria V.

4º Missa dicenda a Paschate usque ad Pentecosten ;  
5º Missa dicenda a Pentecoste usque ad Adventum.

In Rubrica præliminari, posita in Missali ante Missas Votivas, dicitur istas Missas de B. Maria Virgine posse assignari diei proprio, nempe Sabbato ; nihil tamen impedit, quominus eadem Missæ dicantur alia die libera hebdomadæ.

Q. 210. *Cum Missa Votiva celebrari debet in honorem B. Mariæ Virginis, quænam Missa tunc dicenda est ?*

R. Dici debet illa de quinque Missis Votivis in honorem B. Mariæ Virginis, quæ assignata reperitur pro illa de quinque partibus anni ecclesiastici, infra quam Missa hæc Votiva celebratur. (Decret S. Rituum Congregationis, 30 Junii 1896, n. 3922, § V, n. 1.)

Attamen, si Missa Votiva de B. Maria Virgine celebranda venit infra Octavam alicujus Festi ejusdem B. Mariæ Virginis, ea die qua Officium non dicitur de die infra Octavam hujus Festi, tunc pro Votiva dicenda erit Missa de Festo B. Mariæ Virginis cuius Octava celebratur ; sed dicetur juxta regulas Missæ Votivæ. (Decret. 26 Januarii 1793, n. 2542, antiq. 4447, ad 2.)

Exemplum : Missa supponitur celebranda in honorem B. Mariæ V., infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. M. V., die 11 Decembris, in qua occurrit Festum semiduplex S. Damasi, Papæ et Confessoris, quod admittit Missas Votivas, ut postea explicabitur. Dicetur non Missa Votiva de B. Maria V. quæ in præcedenti Quæstione indicatur sub 1º assignata pro Tempore Adventus, sed Missa propria de Festo Immaculatæ Conceptionis, cuius Octava currit ; attamen quia hæc non erit conformis Officio hujus diei, nempe S. Damasi, celebrabitur Missa, non ut die Festi, neque ut in die qua fit de Octava Immaculatæ Conceptionis, sed juxta regulas Missæ Votivæ postea in Articulo II exponendas.

NOTA. I. Si Missa celebranda est in honorem B. Mariæ Virginis in aliquo ex ejus Festis, vel quando Officium fit de die infra ejusdem Octavam, vel die qua Officium Votivum de B. Maria Virgine ex Indulto recitatum fuit, tunc hæc Missa dicenda est conformis Officio, de Festo vel de Octava, vel quæ respondeat Officio Votivo ; et dicenda est prout hac die præscribitur, Fe-

De Missis Votivis de B. Maria V. (Q. 211) 191

stiva nempe, et non juxta regulas Missæ Votivæ. (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § V, n. 1.)

Exemplum : Si celebranda est Missa in honorem B. Mariæ V., infra Octavam Immaculatæ Conceptionis, die 9 Decembris, quæ est secunda dies infra Octavam, et in qua fit, et dicitur Officium de Octava Immaculatæ Conceptionis ; — vel infra Octavam Nativitatis B. Mariæ V., die 9 Septembris, in qua fit de secunda die infra hanc Octavam ; dicitur in utroque casu Missa conformis Officio diei, 9 Decembris, de Immaculata Conceptione, et 9 Septembris, de Nativitate B. Mariæ V., prout dicenda præscribitur his diebus a Rubricis ; et patet quod non poterit dici juxta regulas Missæ Votivæ ; quia est conformis Officio his diebus dicto.

NOTA. II. In Vigilia Assumptionis, 14 Augusti, si dicenda erit Missa in honorem B. Mariæ Virginis, etiam in implementum oneris, celebrari debet Missa de Vigilia ; quippe qua et universalis Ecclesiæ ritui et particulari oneris implemento consulatur. (Decret. 30 Junii 1896, n. 3922, § V, n. 1.) — Idem dicendum est de Missa in Vigilia Immaculatæ Conceptionis B. M. V., 7 Decembris ; sed dispositio non ita practica est pro hac die, quia in ea, ut postea dicetur, Missæ Votivæ privatæ non possunt celebrari, occurrente Festo duplice S. Ambrosii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris.

Q. 211. *An Missæ propriæ Festorum B. Mariæ Virginis quæ per annum celebrantur, tamquam Votivæ dici possunt ?*

R. Missæ propriæ Festorum B. Mariæ Virginis, ex. gr., Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, etc., non possunt dici tamquam Votivæ, nisi quando Missa Votiva celebrari deberet infra Octavam alicujus ex his Festivitatibus, ut in Quæstione præcedenti dictum fuit.

Itaque si aliquis desideraret celebrari Missam Votivam de B. Maria Virgine, cum intentione honorandi præsertim, ex. gr., Mysterium Assumptionis ejusdem B. Mariæ Virginis, extra Octavam Festi Assumptionis, aut si hujusmodi Missa etiam ex præscripto et institutione fundatorum peteretur ; non potest dici hæc Missa Votiva cum formulari proprio hujus Festi, sed debet dici una ex quinque Missis Votivis in Quæstione 209 designatis, juxta occurrentiam temporis, cum intentione colendi Mysterium Assumptionis, in cuius honorem

petita est Missa ; et ita petitioni aut præscripto fiet satis. (Decret 30 Junii 1896, n. 3922, § V, n. 1.)

Dantur tamen ad hanc regulam duæ exceptiones, de quibus in sequenti Quæstione dicitur.

Q. 212. *Quænam sunt Missæ propriae Festorum B. Mariæ Virginis, quæ tamquam Votivæ semper dici possunt ?*

R. Duæ sunt Missæ Festorum B. Mariæ Virginis, in proprio de Sanctis Missalis Romani, ex quarum Rubricis specialibus patet, ipsas posse tamquam Missas Votivas per totum annum celebrari ; sunt sequentes :

1º Missa Festi Septem Dolorum B. Mariæ V. ; quod Festum celebratur Feria VI post Dominicam Passionis ; ponitur Missa in Proprio Sanctorum Missalis post Festa mensis Martii. Hæc, casu quo Missa Votiva petitur celebrari in honorem Septem Dolorum B. Mariæ V., quocumque anni tempore potest dici more Votivo, cum Oratione speciali quæ describitur post Missam vel post Orationem Festi ; et omissa Sequentia *Stabat Mater*.

2º Missa Festi Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, 8 Decembris, cujus Introitus incipit : *Gaudens gaudebo* ; cum hæc dicitur tamquam Votiva, extra Octavam Festi Immaculatæ Conceptionis, mutatio facienda est in Secreta, ubi loco verbi *Solemnitate* dicitur *Commemoratione*.

In his duabus Missis indicatur, quomodo Graduale sit legendum per annum, et post Septuagesimam, necnon Magnum *Alleluja* loco Gradualis dicendum Tempore Paschali ; unde jure merito concluditur ipsas, per exceptionem ad regulam aliis omnibus Missis Festorum B. Mariæ Virginis communem, per totum annum tamquam Votivas celebrari posse. — Præterea constat ex variis Decretis S. Rituum Congregationis.

NOTA. I. Nonnulli auctores docuerunt tamquam Votivas etiam dici posse Missas, tum Festi B. Mariæ Virginis de Monte Carmelo, tum Solemnitatis SS. Rosarii B. Mariæ Virginis. Verum quidem est, Missas Votivas horum Mysteriorum concessas fuisse Ordini Carmelitarum, et Ordini Fratrum Prædicatorum ; sed animadvertisendum est, quod non liceat speciale privilegium alicui Ordini concessum ad alios extendere sine novo Indulto ; et insuper, quod in editionibus adprobatis Missalis Romani nihil notetur in Rubricis specialibus harum Missarum,

nequidem in Missa SS. Rosarii, per Decretum 5 Augusti 1888 innovata. Ideo nec istæ Missæ possunt tamquam Votivæ legi ; et si Missa petitur cum expresso desiderio honorandi B. Mariam Virginem sub his titulis, dicenda est una de quinque Votivis, juxta congruentiam temporis.

Hæc dicta confirmantur Decreto S. Rituum Congregationis (23 Februarii 1884, n. 3605, antiqu. 5907, Dub. V, ad 2), quo declaravit Missas Festivas sub variis titulis B. Mariæ Virginis, ex. gr. de Monte Carmelo, SS. Rosarii, Boni Consilii, Auxilii Christianorum, Puritatis, etc., comprehendi in regula extante pro Missis Festivitatibus B. Mariæ Virginis, quæ non possunt uti Votivæ celebrari ; exceptis diebus infra Octavam, si cum Octava hæc Festa celebrantur. Pro Missa SS. Rosarii, iterum speciatim rescripsit S. Rituum Congregatio (Decret. 3 Julii 1896, n. 3924, ad 2), eam uti Votivam celebrari non posse.

NOTA. II. Plures sunt tituli, sub quibus, jucunda et salutari varietate, gloriosissima Dei Mater colitur in diversis orbis Catholicorum partibus, non tantum privatorum devotione, sed et Officiis et Missis propriis, a Sede Apostolica benigne ad majorem B. Mariæ Virginis gloriam, ejusque cultus omnimodam diffusione concessis ; non quidem ita ut in universalis Ecclesia liturgice celebrari omnes isti tituli jam valeant, et in Kalendario universæ Ecclesiæ adscribantur ; sed ut particularium locorum, Diocesum, regionum, specialibus devotionis testimonii Mætrem Dei prosequentium votis desideriisque satisfiat.

Ex Appendice Missarum, quæ particularibus locis, Diocesibus, aut Religiosis Familias a Sancta Sede pro Festis ibi celebrandis concessas sunt, seliguntur sequentes, quæ referuntur ad varios titulos sub quibus in nostra Diocesi Mechlinensi B. Maria Virgo passim honoratur et colitur, sive institutis sodalitatibus aut confraternitatibus, sive institutis etiam Festis cum Officio et Missa :

1. Desponsationis B. Mariæ V. cum S. Joseph, 23 Januarii ;
  2. Apparitionis B. Mariæ V. Immaculatæ (in Lourdes), 11 Februarii ; concessa Decretum 16 Julii 1890 ;
  3. B. Mariæ Virginis de Bono Consilio, 26 Aprilis ;
  4. Purissimi Cordis B. Mariæ V., Dominica III post Pentecosten, vel ultima Augusti ;
  5. B. Mariæ V. de Misericordia, Feria II Rogationum ;
  6. B. Mariæ V. de Gratia, 9 Junii ;
  7. B. Mariæ V. sub titulo de perpetuo Succursu, Dominica ante 24 Junii ;
  8. Prodigiorum B. Mariæ V., alicubi sub titulo Reginæ Pacis, 9 Julii ;
  9. B. Mariæ V. de Consolatione, Dominica post 28 Augusti ;
  10. B. Mariæ V., Divini Pastoris Matris, 3 Septembris ;
  11. Puritatis B. Mariæ V., Dominica III Octobris ;
  12. Patrocinii B. Mariæ V., Dominica II Novembri ;
  13. Expectationis partus B. Mariæ V., 18 Decembris.
- Nulla jam ex his Missis a Diocesis Mechlinensis Sacerdoti.
- S. LITURG. TRACT. DE RUB. MISS. 13

194 (Q. 213) De Missis Votivis de B. Maria V.

bus tamquam Votiva in Ecclesiis Dioecesis celebrari potest. Quædam equidem inter eas Festivæ pro Dioecesi sunt in assignatis diebus (nn. 1, 12 et 13): sed istæ Missæ tamquam Votivæ celebrari non possunt. — Duæ econtra sunt, quas tamquam Votivas dicere, speciales earum Rubricæ indicant licere (nn. 2 et 4); sed harum Festivitates usque hodie Dioecesi Mechlinensi concessæ non sunt: atqui istas Missas iis tantum quibus concessæ sunt, et ibi solummodo ubi concessæ sunt, tamquam Votivas celebrare licitum, communis doctrina tenet.

Q. 213. Quænam Missæ dicendæ erunt in sequentibus casibus :

a) In Festo semiduplici S. Damasi, Papæ et Confessoris, 11 Decembris, infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V. petitur Missa in honorem Septem Dolorum B. Mariæ V.?

R. Missa Septem Dolorum B. Mariæ V. ex iis est, quæ per exceptionem tamquam Votiva dici potest; sed in præsenti casu, cum celebretur Octava Immaculatæ Conceptionis, etiamsi de eadem non fuerit eo die recitatum Officium, non convenit aliud Mysterium ejusdem B. Mariæ V. ob solum votum seu desiderium honorare per Missam Votivam, relicto Mysterio quod Ecclesiæ determinata voluntate liturgice tunc temporis colitur: itaque celebrabitur Missa Votiva de Immaculata Conceptione, cum intentione colendi Mysterium Septem Dolorum: et si expresse jam hujus Mysterii propria Missa desideraretur, remittenda foret Missa Votiva ad alium diem liberum.

b) Petitur Missa in honorem B. Mariæ V. sub titulo : **Notre-Dame du Sacré Cœur** ?

R. Sub hoc titulo, pia sodalitia, quæ plurimos numerant asseclas, et a Sede Apostolica indulgentiarum favoribus sunt ditata, invocant B. Mariam V. uti earum Dominam, non autem quasi B. Maria V. imperium exerceat super Filio suo. (Cfr. Nouvelle Revue théologique, VII, 1875, pag. 205-208.) Etiam in iis Ecclesiis, in quibus hæc sodalitia instituta sunt, absque speciali Indulto, alia Missa non potest dici ad honorandum B. Mariam V. sub hoc titulo, quam illa ex quinque Missis Votivis, quæ congruit tempori quo Missa celebratur.

c) Petitur Missa de B. Maria V. sub titulo : **Notre-Dame de Lourdes** ?

De Missis Votivis de Sanctis (Q. 214) 195

R. Cum B. Maria V. apparuerit in hoc loco sub titulo Immaculatæ Conceptionis, certe satisfit intentioni petentium, si dicitur Missa Votiva de Immaculata Conceptione, cuius introitus est : *Gaudens gaudebo*, ut in Festo, 8 Decembris. Videtur tamen etiam satisfieri, si dicitur una ex quinque Missis votivis, juxta temporis congruentiam. (Cfr. Nouvelle Revue théologique, X, 1878, pag. 452.) Sicuti dictum jam fuit Quæstione 212, in Nota 2<sup>a</sup>, nova Missa recens concessa **Apparitionis B. Mariæ V. Immaculatæ**, cuius Introitus est : *Vidi civitatem sanctam*, absque Indulto speciali inscriptionis hujus Festi in Kalendario Dioecesis Mechiniensis, hucusque (anno 1902) nondum concesso, a Sacerdotibus Dioecesis tamquam Votiva celebrari nequit.

B. De Missis Votivis in honorem reliquorum Sanctorum

Q. 214. De quibus Sanctis dici possunt Missæ Votivæ ?

R. Missæ Votivæ dici possunt de quibuscumque Sanctis canonizatis qui in Martyrologio, sive Romano, sive alio Ordinum Religiosorum referuntur, aut in liturgico Calendario particulari cujuscumque Dioecesis adscripti sunt, aut ex aliquo authentico documento in Sanctorum numerum relati cognoscuntur; quorum itaque cultus ab Ecclesia comprobatus est.

De Sanctis in Martyrologio non descriptis, aut ad quorum honorem et cultum a Sancta Sede non fuit specialiter concessum Officium cum Missa, etiamsi ipsorum Corpora, vel insignes Reliquiæ in Ecclesiis asservarentur, Missas Votivas celebrare non licet, juxta Decretum Generale S. Rituum Congregationis, 11 Augusti 1691 (n. 1853, antiq. 3246).

Si pro aliquo Sancto, cuius cultus toleratur, ab Apostolica Sede Missa Festiva concessa alicubi reperitur, vel ab immemorabili tempore in ejus honorem Missa celebrata fuit, de eodem etiam Missa Votiva permittitur.

Non vero sufficit quod nomen aliquod inscriptum reperiatur in quovis catalogo minime authentico, qualis aestimandus est qui annue a diversis editur sub nomine « almanach »; in hujusmodi annuis publicationi-

196 (Q. 215, 216) De Missis Votivis de Sanctis

bus plurima occurunt nomina aliunde ignota ; et eo unice quod ibi inscripta sunt, non sufficiens habetur cultus probatio, ut Missa in honorem hujus Sancti vel Sanctæ celebrari valeat.

Q. 215. An de Beatis dici possunt Missæ Votivæ ? Quare ?

R. De mere Beatis Missæ Votivæ celebrari non possunt, etiam ubi Officium et Missa in eorum Festis concessa fuerint, nisi id speciali Apostolico Indulto fuerit permisum.

Ratio ab auctoribus sequens datur, quia Beatificatio non tribuit plenum et universalem cultum, sed solum illum qui in Beatificationis Bulla exprimitur ; et licentia non tribuitur Beatos publice colendi recitatione Officii et celebratione Missæ, nisi determinatis personis, et pro diebus et locis determinatis ; ergo non est licitum prædictos limites excedere, et quocumque die, in quacumque Ecclesia, pro cuiuslibet devotione, Missam Votivam alicujus Beati celebrare.

Itaque non licet dicere Missas Votivas, ex. gr., de Beata Margarita Maria Alacoque, Virgine, etiamsi ejusdem Festi celebratio, 17 Octobris, speciali Indulto concessa fuerit Archidioecesi Mechlinensi ; neque de Beato Gerardo Maria Majella, Confessore, cuius cultus singuli modo jam hodie propagatur ; etc.

Q. 216. Quæ Missa dicenda est pro Votiva, de Sanctis quorum Missæ in Missali Romano describuntur ?

R. I. Si Sanctus in Missali Romano, intellige in corpore Missalis, in ejus tertia parte (cfr. Q. 35), habet Missam propriam, hæc dicenda est, modo extra festivitatem, id est, extra diem proprium Festo in Kalendario assignatum, verba retineant veritatem ; vel, ut hæc veritas servetur, modica tantum opus sit mutatione.

Modica censetur mutatio :

a) Si in Orationibus occurrant verba *natalitia, festivitas, solemnitas*, et alia hujusmodi ; quæ commutantur in *memoria, vel commemorationem* ; ex. gr., in Oratione S. Antonii de Padua (13 Junii), loco vocis *solemnitas* in Missis Votivis dicitur *commemoratio*. (Decret. S. Rituum Congregationis, 11 Martii 1882, n. 3539, antiq. 5834, ad 1 ; et 30 Junii 1896, n. 3922, § III, n. 1.)

De Missis Votivis de Sanctis (Q. 216) 197

b) Si ibidem occurrant verba *hodie, hujus diei, hodierna die, annua etc.* ; quæ omittuntur ; ex. gr., in Postcommunione Missæ S. Aloysii Gonzagæ (21 Junii), omittitur in Missis Votivis quæ ibi habetur vox *hodie*. (Decreta S. Rituum Congregationis supra citata.)

c) Si integra pars aliqua Missæ extra diem Festum vera non est, ex. gr., si in Missa propria habetur Introitus : *Gaudemus omnes in Domino, diem festum celebrantes, etc.* ; hæc pars propria commutatur in aliam de Communi Sanctorum, pro qualitate Sancti cuius Missa Votiva est celebranda ; ex. gr., pro Missa Votiva de Sancta Agatha (5 Februarii), loco Introitus *Gaudemus*, dicendus erit Introitus Missæ de Communi Virginis et Martyris *Loquebar* ; pro Missa Votiva de S. Anna (26 Julii), loco ejusdem Introitus, dicetur Introitus *Cognovi Domine*, de Communi nec Virginis nec Martyris.

d) Si ratione temporis anni ecclesiastici, aliqua Missæ propria pars mutanda est, quod locum habere potest pro Graduali, Versu Allelujatico, Tractu, vel Versu Allelujatico Temporis Paschalis ; quæ desumuntur in casu ex Missa de Communi Sanctorum, pro qualitate Sancti cuius Missa Votiva dicenda est.

II. Si Sanctus in Missali Romano non habet Missam propriam, sed e Communi Sanctorum sumptam, hæc etiam pro Votiva dicenda erit ; et si aliquam partem tantum propriam habet, ex. gr., Orationem, hæc propria pars etiam dicitur, cum mutationibus, si occurrant facienda, ut supra (I, a, b) assignatae fuerunt.

Ordinarie, saltem in ultimis editionibus Missalis, indicantur Missæ dicendæ pro Sanctis, qui in die proprio Festivo Commemorationem tantum habent, quando eodem die dicuntur Missæ de occurrente Festo potioris ritus. Pro Missa Votiva dicitur hæc indicata Missa.

III. Si Sanctus in Missali Romano habet Missam propriam, sed et ita propriam quod extra proprium diem Festi in nulla fere parte veritas verborum servari possit, tunc pro missa Votiva, relicta Missa propria, sumitur Missa de Communi Sanctorum juxta qualitatem Sancti.

Hoc suppositum proponitur ab auctoribus ; sed pro

praxi nullum exemplum afferri potest ; et usuvenit generatim regula supra sub I posita.

Q. 217. Quæ Missa dicenda est pro Votiva, de Sanctis quorum Missæ describuntur sive in Appendicibus Missalis, sive in adjuncto Proprio regionis vel Diæcessis ?

R. Certum est de omnibus Sanctis in his Appendicibus et adnexis Propriis assignatis, dici posse a quocumque Sacerdote Missas Votivas, ut supra Quæstione 214 dictum fuit. Sed animadvertisendum est, quod propriæ horum Sanctorum Missæ ibi descriptæ tamquam Votivæ ab iis tantum dici possunt Sacerdotibus, qui easdem tamquam Festivas, in propriis Festis diebus horum Sanctorum, ex concessionibus particularibus celebrare valent ; alii autem Sacerdotes, de his Sanctis Missam Votivam celebrantes, dicent Missam, non propriam seu particularem, sed de Communi Sanctorum, pro qualitate Sancti de quo Missam Votivam dicere debent.

Exempla : Sacerdos Dicecesis Mechliniensis, qui debet celebrare Missam Votivam : 1º de S. Rumuldo, Episcopo et Martyre, profecto poterit dicere, extra Tempus Paschale, Missam propriam e Proprio Dicecesis Mechliniensis, 1 Julii, mutato, qui extra diem Festum et Octavam non convenit, Introitu *Gaudemus* cum alio de Communi Martyris Pontificis ; — 2º de S. Juliano, Episcopo et Confessore, dicet Missam cum Orationibus propriis in Appendice Missalis assignatis ; — cum enim istæ Missæ Dicecesi Mechlinensi concessæ sint pro istorum Sanctorum Festis, dici poterunt etiam, in ista Dicecesi et a clero Dicecesis, tamquam Votivæ.

E contra, Sacerdos Dicecesis Mechliniensis, qui debet celebrare Missas Votivas, ex. gr., de S. Benedicto Josepho Labre, Confessore, de S. Francisco Regis, Confessore, de S. Michaële de Sanctis, Confessore, reperiet quidem in Appendice Missalis Missas proprias horum Sanctorum, aliquibus locis concessas ; sed quia horum Festorum celebratio concessa non est Dicecesi Mechlinensi, etiam non concessæ sunt Missæ propriæ, et Sacerdos dicet Missas de his Sanctis Votivas cum formulari sumpto e Communi Confessoris non Pontificis. — Similiter, si idem Sacerdos Missam celebrare debet Votivam de S. Eleutherio, Episcopo Tornacensi et Confessore, pro quo Missa propria assignatur in Proprio Dicecesis Tornacensis, dicet Missam Votivam, non quæ huic Dicecesi est concessa, sed sumptam de Communi Confessoris Pontificis.

Quodnam formulare in tali casu sumendum est, si plura dantur in Communi Sanctorum pro Sanctis ejusdem qualitatis ? Si in Missa propria Sancti reperitur aliqua pars, ex. gr., Oratio, vel Secreta, vel Postcommunio, vel Epistola, vel Evangelium, desumpta ex una alterave Missarum de Communi ejus qualitatis, cuius est Sanctus de quo Missa est celebranda, poterit ejusdem Missæ formulare totum assumi ; alias eligit Sacerdos unam ex pluribus de Communi eodem, prout placuerit vel devotio suggesserit.

Igitur in casu Sacerdos, qui debet dicere Missam Votivam de S. Benedicto Josepho Labre, Confessore, vel de S. Michaële de Sanctis, Confessore, sumet Missam de Communi Confessoris non Pontificis, nempe vel *Os justi*, vel *Justus ut palma*. Pro Missa Votiva vero de S. Francisco Regis, Confessore, dicet Missam *Os justi*, cum Oratione hujus Missæ.

Q. 218. Quænam Missa dicenda est pro Votiva, de Sanctis quorum neque in Missali Romano, neque in Appendicibus, neque in Propriis locorum, nulla fit mentio ?

R. Cum in tali casu nulla adsit indicatio, quæ unam alteramve ex pluribus Missis ejusdem Communis esse præferendam ostendat, Sacerdos pro celebranda Missa Votiva, modo constet de cultu ab Ecclesia comprobato, dicet de Communi Missam, quæ magis placuerit, vel quam devotio suggesserit.

Q. 219. Quid animadvertisendum est pro Missis Votivis quæ dicendæ sunt de Sanctis Martyribus ?

R. In hujus Tractatus Notionibus præviis, ubi exponitur ordo Missarum de Communi Sanctorum, in quarta parte Missalis (cfr. Q. 36), signatum fuit, pro Sanctis Martyribus dari Missas de Communi, diversas tum pro Tempore Paschali, tum extra Tempus Paschale. Hujus Temporis distinctionis etiam habenda est ratio in celebratione Missarum Votivarum.

Itaque, si de aliquo Sancto Martyre, aut de Sanctis Martyribus celebranda est Missa Votiva, distinguendum est pro ratione Temporis, ut Missa dicenda determinetur, nempe :

1º Si extra Tempus Paschale celebranda est Missa